

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE MEMBRIS ECCLE-||SIAE MILITANTIS,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

IX. Rationem eligendi summum Pontificem, per solos Cardinales, esse  
omnium optimam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53880](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-53880)

etione populari. Quocirca multis iam seculis soli Clerici primatij eligunt, quod tamen fieri non potuisset, si iure diuino omnes Clerici electores fuissent. **D E N I Q U E**, S. Petrus, qui ius diuinum certè non ignorabat, non solum in Ecclesia Romana successorem sibi delegit Clementem, neque exspectauit, ut is à Clericis eligeretur, sed etiam ad plurimas provincias Episcopos misit. Vide Damasum in Pontificali, Innocentium I, in epistola ad Decentium, & Ioannem III, in epistola ad Germanos. Vide etiam de tota re Caietanum de potestate Papæ & Concilij, cap. 13.

## C A P V T IX.

## Septima Propositio.

**R**ATIO eligendi summum Pontificem per solos Cardinales, est omnium optima, & meritò conseruanda, et si absolute posset Pontifex eam mutare, si vellet.

Secunda pars est evidens, quia de iure positivo est, ut Cardinales elegant. Probatur prima pars huius conclusionis; **P R I M O**, inductione. Non debet Pontifex creari per sortes, nec per carnalem successionem, nec per solius prædecessoris nominationem, nec ad suffragia populi, nec ad suffragia rotius Cleri, ut iam probatum est; ergo ad suffragia primorum ex Clero. Tales sunt Cardinales, sunt enim præcipui Episcopi, Presbyteri, & Diaconi Romanæ Ecclesiæ.

**S E C U N D O**, nulli melius iudicare possunt, qualis debeat esse Episcopus eligendus, quam ij, qui sunt Episcopi Coniliarij, & cum eo Ecclesiam regunt, & optimè norunt Ecclesiastica negotia; tales sunt Cardinales, igitur ad eos rectissimè pertinebit electio.

**T E R T I O**, ex duratione; nulla enim forma electionis diudicare potuit, præter istam per solos Cardinales. Constat enim ab anno M. C. LXXIX. usque ad hoc tempus per annos CD. semper electos Pontifices à duabus partibus Cardinalium iuxta decretum Alexandri III. promulgatum in Concilio Lateranensi, ut habemus cap. Licet, extra de electione; nec

tamen tunc cœpit electio fieri per solos Cardinales, sed dicitur antea videtur incœpisse. Nam in illo cap. Licet, Alexander III. aperte indicat, iam antè cœpisse morem istum, ut soli Cardinales eligerent, & solum se constituere, ut non sufficiat maior pars Cardinalium, sed requirantur duæ partes. Porro ante hoc tempus per M. C. annos, XVII. mutationes inueniuntur in electione Romani Pontificis, ut quidam annotarunt.

**Q**UARTO probatur experientia, quia nunquam fuerunt pauciora schismata, quam hoc tempore. Annotauit Onuphrius in libro de Pontificibus Romanis, schismata XXIX. in Ecclesia Romana, ex quibus XXVI. fuerunt usque ad Alexandrum; toto reliquo tempore solum tria, ex quibus etiam tribus unum solum accidit vitió Cardinalium, nimis illud, quod factum est tempore Urbani VI. Nam illud alterum, quod accidit tempore Ioannis XXII. ab Imperatore Ludovico IV. excitatum est; postremum vero temporibus Eugenij à Concilio Basileensi.

**Q**VINTO probatur; nam haec forma eligendi temperata est ex omnibus aliis bonis & legitimis formis; sciendum est enim quinque modis præcipue consueuisse eligi Episcopos. **P**RIMUS modus fuit, ut ipse summus Pontifex per se eligaret, qui modus præsertim seruabatur olim in nouis Episcopatibus erigendis, nouisque Episcopis mittendis.

**S**ECUNDVS modus fuit, ut Episcopum eligerent Episcopi omnes eiusdem prouinciae, vel maior eorum pars, postulato tamen testimonio, & consensu Cleri & populi eius loci, cui Episcopus dabatur: & eodem modo eligebantur Metropolitanus, & Patriarchæ, & ipse summus Pontifex nimis ab Episcopis vicinis, seu prouincialibus. & hic modus antiquissimus fuit, & durauit satis diu. De hoc modo loquitur Cyprianus lib. 1. epist. 4. *Apud nos, inquit, & ferè per omnes prouincias tenetur, ut ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem, cui Propositus ordinatur, Episcopo eiusdem prouinciae proximi quinq[ue] conueniant, & Episcopus deligitur plebe presente, qua singulorū vitam plenissime nouit, & concususque alium de eius conuersatione perspexit.* Idem lib. 4. epist. 2. testatur, Cornelium Papam electum fuisse à plurimis Episcopis, de testimonio & suffragiis totius Cleri & populi. De eodem modo

modo legimus in Concilio Nicæno can. 4. Episcopum debere constitui ab omnibus Episcopis prouinciae, & si id fieri nequit, saltem per literas debere haberi consensum absentium omnium, vel majoris partis, ut exponit can. 6. eiusdem Concilij. Idem habetur in Concilio Antiocheno can. 19. & in decretis collectis à Martino Bracar. cap. 3.

**TERTIVS** modus fuit, ut eligeret Clerus & populus ciuitatis. Hic modus fuit in vsu tempore Chrysostomi, Ambrosij, Augustini, Leonis, Gregerij, ut patet ex locis supra citatis.

**QVARTVS** modus fuit, ut Imperatores & Reges, vel soli, vel cum Clero & populo eligerent. Constat enim, Iustinianum Seniorem post recuperatam Italiam, noluisse quenquam creari Romanum Pontificem, sine sua approbatione, quod seruatum est usque ad Constantimum IV. qui iuri suorum prædecessorum in hac parte cessit, ut ex Platina, & aliis cognosci potest. Constat item, Carolo Magno ius eligendi Romanum Pontificem & alios Episcopos concessum ab Adriano I. & deinde simile ius concessum Othoni à Leone VIII. ut patet ex Gratiano d. 63. can. Adrianus, & can. in Synodo.

**QVINTVS** modus fuit, ut soli Canonici, id est, primarij Clerici Episcopum eligerent, qui modus seruatur a longo tempore in multis Germaniæ locis.

Ex his quinque formis **PRIMA** non potest reperiri in electione summi Pontificis, quia non expedit, ut prædecessor eligat successorem: reperitur tamen aliquo modo, quatenus hæc forma electionis ab ipsis Pontificis decreto manauit. **SECUNDIA** reperitur in hac forma, quantu[m] ad id, quod erat in ea præcipuum; nam eligunt nunc Episcopi vicini, ut tunc eligeant, nimis sex Episcopi Cardinales. **TERTIA** non reperitur, quia erat omnium maximè incommoda, ut supra ostendimus. **QVARTA** non reperitur etiam, quia quod Imperatores se miscuerint electioni, factum est vel vi, & quasi tyrannide Imperatorum, ut quando Græci Imperatores nobabant creari Pontificem sine suo iussu, immò etiam nisi pecuniariam summam accepissent; quam consuetudinem tyrannicam fuisse affirmat S. Gregorius in comment. Psal. 4. penitentialis; vel quia Pontifices ipsi id necessarium iudicabant ad Ecclesiæ defensionem, ut quando Carolo Magno

& Othoni id Pontifices concesserunt. At nunc nec Imperatores tyraanicè se ingerunt electioni, nec id requiritur ad Ecclesiæ defensionem. Immò etiam vix inuenitur aliquis pius Imperator, qui hoc iure sibi concesso uti voluerit, & è contrario exstat aperta renunciatio huic iuri facta à Ludouico Caroli filio, can. Ego Ludouicus. d. 63. & ab Othono I canon. Constitutio, eadem distinctione. QUINTA denique reperitur; nam quod sunt Canonici in aliis urbibus, id sunt Presbyteri & Diaconi Cardinales in Vrbe.

## CAPVT X.

## Octaua Propositio.



*I nulla existaret pontificalia constitutio de electione summi Pontificis, vel casu aliquo omnes electores à iure designati, id est, omnes Cardinales simul perirent, ius electionis ad Episcopos vicinos & Clerum Romanum pertineret, cum dependentia tamen aliqua à Concilio generali Episcorum.*

In hac propositione non videntur omnes conuenire, quidam enim existimant, secluso iure positivo, ius eligendi de uolui ad Concilium Episcorum; vt Caietanus tractat de potestate Papæ & Concilij, cap. 13. & 21. & Franciscus Victoria relect. 2. q. 2. de potestate Ecclesiæ. Alij, vt refert Sylvestris verbo Excommunicatio, 9. § 3. docet, ad Clerum Romanum pertinere ius eligendi in illo casu. Sed conciliari possunt hæduæ opinones. Nam ad Episcorum Concilium pertinet sine dubio primaria auctoritas eligendi in illo casu; siquidem mortuo Pontifice, non est in Ecclesia vlla maior auctoritas, quam generalis Concilij: & si Pontifex non esset Episcopus Romanus, nec alicuius particularis loci, sed solùm generalis Pastor totius Ecclesiæ, ad Episcopos pertineret, vel eligere successorem, vel designare electores: tamen posteaquam venitus est Pórticatus orbis Episcopatui urbis, immediata auctoritas eligendi in illo casu deberet ab Episcopis totius orbis permitti Episcopis viciniis, & Clericis Romanæ Ecclesiæ, quod probatur dupliciter:

PRIMO